



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 9. Ager Cremonensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

N V M. 9. Ager Cremonensis, Cremonese.

CREMONA: *Cremona*, nobis *Cremone*, de cuius nomine vide Leandrum, sicut & de eius variis cladibus. Turrem habet celeberrimam, vnde proverbiū *una turris in Cremonā*; item & arcem magno præsidio firmatam. Distat à Pado 1500. passibus, cuius tamen inundationes sentit: eius ager omnibus rebus ad delicias abundat.

PLATINA: *Piadena*, nomen habet ut vult *Platina* in *Vitis Pontificum* à Ioanne Platinā Exarchā Rauennate, qui Theodoro successit, ex quo familiam suam prognatam credit: fides sit penes auctorem, in aliis non semper fide dignum.

Casale maius: *Casale Maggiore*, non in honestum oppidum, bellis Mediolanensibus attritum, sed à Pado grauius afflitum.

Martiniana: *Martignana*, versus Padum.

Ripariolum: *Riuaruolo di dentro*.

Fanum S. Ioannis in Cruce: *San Giovanni in Croce*.

Castellum Francum: *Castro Franco*, versus Ollium Fl.

Scandolaria: *Scandolaria*.

Monasteriolum: *Monastiruolo*.

Incola Diaresi: *Isola di Douaresi*, ad Fl. Ollium.

PICELLO: *Picigitone*, lautum, opulentum, & frequens oppidum: vbi munitissimam arcem Philippus Maria Dux Mediolanensis excitauit. Ad eam deductus est Franciscus I. captus ad Papiam.

CASTRVM LEONIS: *Castro Leone*, locus satis munitus.

Triuoli: *Trigolo*.

Casale Moranum: *Casal Morano*.

Casale Botranum: *Casal Buttana*.

SONCINVM: *Soncino*, ad Fl. Ollium frequens oppidum populi que refertum: euersum olim à Friderico Ænobarbo 1124. & instauratum; iterum 1192. incensum à Mediolanensibus, & rursus reparatum. Hic mortuus est Aetiolinus tyrannus. Varios expertum dominos concessum est Marchionatus titulo Stampis Mediolanensibus.

Fontanella: *Fontanella*, ad caput Insulae quam efficit Nauilius communis.

VRBES AGRI CREMONENSIS.

FL V-
VII. { *Serius: Serio.*
Olius: Oglio, territorium Brixianum ab hoc dirimens.
Nauilius Communis: Nauilio della Communita.
Nauilius Palaucinus: Nauilio Palauicino.
Tabulam huius agri habes insertam agro Mantuano, Mutinensi, &c.

NVM. 10. *Territorium Alexandrinum, seu Alessandrino, vel Alessandresc.*

VRBES AGRI ALEXANDRINI.

ALEXANDRIA, cognomento à Palea : *Alessandria della Puglia*, quam sic dictam volunt quod hinc Imperatores Coronam stramineam reciperent: nugæ. Condita est an. 1178. à Mediolanensibus, Cremonensibus & Placentinis contra Fridericum, & eius socios, dictaque Cæsarea. Sed cum obsidionem pertulisset fortiter à Friderico, Alexander III. in gratiam indigenarum ei dedit Episcopum, & de suo nomine Alexandriam dixit.

Burgolium : *Borgo*, ab urbe prædictâ tantum Tanaro Fl. dimptum oppidum, aut suburbium verius.

Busca, & Boscum, & Buca : *Bosco*, non ad Fl. Bormiam ut vult Leander, sed *Orba*: oppidum est non inuenustum, olim unus ex Marchionatibus septem Alerami.

Castellutium : *Castelluzzo*, non procul à Tanari & Bormiæ confluentiis, olim Gamundium dictum, ait Leander; cuius incolæ primi omnium Alexandriam commigrarunt, tamen sine patriæ suæ damno.

Rupes Annonis: *Annone*, castrum firmissimum, vulgo dictum ab indigenis *Noni*, seu *Non*.

Fœlicinum : *Feliciano*, ad Tanarum amnem..

Bassianiana : *Bassianana*, ad Tanari in Padum confluentias. Hic Tanarus olim ponte ligneo iungebatur; ad quem receptus Cardinalis Medices, qui postea Leo X.

Valentia : *Valenza*, in monte sita.

Retortum : *Retorto*, monti quoque affixum.

Cassella : *Cassine*, olim Cassinum, lautum & opulentum castrum magnis operibus munitum à copiis Caroli V. Imp. quare propugnaculum fuit contra Gallos, Venetos,

HHh hh iij